



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118022**

§. 37. Legati in Normannia non recipiuntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](#)

nales. Obstrepentibus vero Cancellarii Sæcul. XII.  
 nunciis Papam non respondit. Sed illa nocte A.C. 1192.  
 Papam adeunt, exprobrant, quod publice a se factum publice negasset, memo-  
 rant, quot obsequia ei Dominus ipsorum  
 Cancellarius præstisset, & per bono-  
 rem Ecclesiæ Romanae ac proprii nominis  
 gloriam obtestantur, ut testimonium præ-  
 beret veritati. His monitis expugnatus  
 Papa altera die in Consistorio, Cardinali-  
 bus, Clericis populoque præsentibus dixit:  
 Fratres mei! confiteor, quod in Episco-  
 pam Eliensem ejusque Nuncios graviter  
 peccaverim. Nam in memoriam rediit,  
 quod epistolæ, quibus sententiam excom-  
 municationis in Comitem Moretonii,  
 Archiepiscopum Rotomagensem ipsorum-  
 que consciens confirmavi, meo jussu missæ  
 fuerint; eas bodieque confirmo, voloque,  
 ut, quibus imperatum est, injuncta exe-  
 quantur. Talis est epistola, quam Le-  
 gati ipsius ad Archiepiscopum Rotoma-  
 gensem dederunt.

### §. XXXVII.

*Legati in Normannia non recipiuntur.*

Itaque Cœlestinus Papa hoc anno mil *Reg. p. 720.*  
 lesimo centesimo nonagesimo secundo *J. Bromt.*  
 duos Cardinales, Sacrae Sedis Legatos, *p. 1238.*  
 Octavianum Episcopum Ostiensem, &  
 Jordanum Abbatem Fossæ novæ, Pres-  
 byterum tituli S. Anastasie, in Norman-  
 ia

Sæcul. XII. niam misit, causam inter Cancellarium  
A.C. 1192. Guilielmum Episcopum Eliensem &

Gualterium Episcopum Rotomagensem  
composituros. Sed ecce, cum ad urbem  
Gisortium pervenissent, Equites arcis  
præsidiarii, & cives, jubente Normannia  
Prætore, intraturis clausas portas ob-  
jecerunt, quod dicerent, Regem Richar-  
dum a pia peregrinatione necdum re-  
diisse, & abeuntem Legatos Sacræ Se-  
dis se absente recipiendi licentiam non  
dedisse, quamvis tutelæ Summi Ponti-  
ficiis omnes suas Ditiones commisisset.  
Respondebant Cardinales, ad pacem re-  
ducendam se venisse; sed nec preces  
profuere nec minæ, quippe armatorum  
vi ad viam, qua venerant, relegendam  
compulsi sunt. Cardinalis Octavianus  
Normanniam Interdicto adstrinxit, &  
Prætorem excommunicationis sententia  
feriit, at Cardinalis Jordanus, Richardi  
Regis amantissimus, nullam Censuram  
protulit. Cum hæc in Angliam delata  
fuissent, Regina Eleonora, Joannes Co-  
mes, Archiepiscopus Rotomagensis, alii-  
que Reipublicæ Præfecti, Hugonem Epi-  
scopum Dunelmensem in Normanniam  
mittunt, qui Censuras aboleri, & con-  
gruum honorem Legatis exhiberi cura-  
ret. Hugo itaque in Franciam devectus  
Lutetiam venit, ubi cum Cardinales  
habuisset, exasperatorum animos delini-  
vit,

vit, multoque labore & industria effecit, Sæcul. XII.  
ut promitterent, Episcopum Ostiensem A. C. 1192.  
reos a Censura Ecclesiastica absoluturum,  
posita conditione, si Prætor, consciique,  
jurarent, se se Ecclesiæ Judicio subjectu-  
ros esse, in causa injuriæ Cardinalibus  
illatæ, & ille permitteret, eos libere  
Rotomagum pergere non ut Cardinales,  
sed ut advenas & extraneos, adjecta &  
alia conditione, ut nempe Clerici Nor-  
manniæ proficiscentibus sumtus ad de-  
cem dies, quinquaginta viris & equis  
quadraginta sustentandis necessarios,  
suppeditarent. His pactis condicebant,  
se pacem inituros, Episcopo Dunelmensi  
& Decano Rotomagensi arbitris. Verum  
quia Prætor eo adduci non potuit, ut  
Legatos, sine Regis licentia, Norman-  
niam attingere pateretur, non sublatis  
Censuris reversi sunt, quamvis eos Epi-  
scopus Dunelmensis Veselium usque ob-  
sequii causa comitaretur. At Papa Cardi-  
nales Interdictum solvere jussit, ac pe-  
dem in Normanniam inferre vetuit.

### §. XXXVIII.

#### *S. Albertus Episcopus Leodiensis.*

Rudolphus Episcopus Leodiensis a sacra Ægyd. de  
profectione reversus, cum prope- Episc. Leod.  
diem in domum suam perventurus esset, c. 56. Ec.  
quinta Augusti, anno millesimo centesimo  
nonagesimo primo, veneno necatus est.

T 5

In